



24.

22

DISSERTATIO
HISTORICO-ETHICA
DE
ÆMULATIONE

Quam
IN ILLUSTRIS ACADEMIA
LIPSIENSI

Indultu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
SUB PRÆSIDIO
VIRI

CLARISSIMI AC PRAESTANTISSIMI
DN. M. CHRISTOPHORI KRAHE
LIPSIENSIS

S. S. Theologiæ Candidati
Fautoris ac Præceptoris sui

Publicè defendet

JOHANNES JUNGIUS
Uratislaviensis Silesius

Ad diem XXVI. Novembris
Anno M. DC. LXIV.

L I P S I Æ,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

Ge. Lic. Stuhem



HISTORICO-PHILICA
DE EMULATIONE
IN ILLUSTRI ACADÉMIA
De Emulatione
Johannes Winckler
HISTORICO-PHILICA
DE EMULATIONE
IN ILLUSTRI ACADÉMIA
De Emulatione
Johannes Winckler





PRÆFATIO.

DE AEMULATIONE acturi certos nobis definiemus limites, intra quos tota nostra decurret tractatio. Tria verò summa erunt capita. Quorum primum Aemulationis naturam. Alterum Leges, ad quas genuina emulandi ratio componenda. Tertium vera Aemulationis Fructus, quos tùm ubivis tùm præcipuè in Republicâ profert insignes, sistet. DEUS adsit!

CAPUT PRIMUM De Aemulationis Naturâ.

§. I.

Aemulationis vocabulum variè apud Autores accipi, à Philologis hinc inde annotatum. Non examinabimus omnes. Ad institutum nostrum sufficit, pleurosq; nos in eo habere duces, Aemulationem propriissimè Imitationem quandam esse, eamq; seriam, & voluntatem efficacem imitandi præsupponentem.

§. 2. Ubi tamen notes ingens inter Imitationem & Aemulationem esse discrimen, quod Cl. Buchneri Præceptoris nostri desideratissimi potius verbis quàm nostris exponemus. Ita verò ille in Thesauro Fabri recensito & emendato: *Aemulatio plus est quàm Imitatio. Qui imitatur, sequitur exemplum alterius, satis habens, si alicquâ similis saltem ei, quem imitatur, esse possit. Qui emulatur, ita sequitur & imitatur alterius rem, ut æquare vel superare etiam studeat, majoremq; adeò, si possit, ex eâ gloriam ac laudem sibi conficiat.*

§. 3. Cæterùm cum Aemulatio ratione objecti, modi & adjuncti variet, duæ ejus exurgunt species, quarum utraq; quancquam idè habet generale æmulationis nomen, una tamen in laude, altera in vituperio ponitur. Elegans est in hanc rem Ciceronis locus lib. 4. Tuscul. question. *Aemulatio dupliciter accipitur, ut & in laude & in vitio nomen hoc sit: nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur; Et*

est æmulatio ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat.

§. 4. Nos in præfenti de solâ Æmulatione laudabili & virtuosâ agemus. In cujus quidem delineatione sic versabimur, ut nec anxie de aliorum, qui idem argumenti genus tractandum susceperunt, mente inquirendâ sententiâq; discutiendâ simus solliciti, nec præcipitanter aliquid & præter necessitatem mutemus.

§. 5. Et en, ut cardinem rei aggrediamur, talem Æmulationis damus definitionem. ÆMULATIO est virtus modestiæ & magnanimitati pro diversâ ratione affinis, quâ aliorum virtutes sive intellectuales sive morales, virtutumq; proemia imitando æquare aut etiam superare contendimus.

§. 5. Hæc ut plenius à quovis intelligantur, convenienti methodo in Æmulationis genus, subjectum, objectum, causam efficientem & finem inquiramus, singula Philosophorum & Historicorum flosculis exornaturi.

§. 7. De GENERE Æmulationis tres sunt Autorum sententiæ. Plurimi Æmulationem pro affectu habent ad appetitum concupiscibilem pertinente. *Keckermannus in System. Ethic. lib. 3. cap. 3.* pro semivirtute seu virtute imperfectâ agnoscit. Alii, inter quos jure *Senecam lib. 3. de Beneficiis cap. 36.* numeres, Virtutis titulo dignatur.

§. 8. Omnium fortè mens, si commodè explicaretur nec exclusivè intelligeretur, tolerare posset: quoniam tamen explicatio, quam nos intendimus, illorum placito & hypothesebus vix congruit, hinc in præfenti controversiâ, salvo aliorum judicio, ita Philosophamur. Sit itaq;

§. 9. *Conclusio Ima.* Æmulatio quatenus indifferenter spectatur pro solo studio imitandi, non attendendo an illud moraliter bonum vel malum sit, est affectus ad appetitum concupiscibilem spectans. Ante conclusiones hujus probationem præsupponimus tanquam concessa & alibi confirmata I. Æmulationem indifferenter & in generali abstractione præcisiva (ut Philosophi loquuntur) ab Autoribus accipi aut saltem accipi posse. II. Affectum esse actum appetitus ex cognitione boni vel mali ortum. III. Appetitum concupiscibilem, secus ac *Scholastici* communiter & *Piccolomineus* volunt
lunt

lunt, esse eum qui prosequitur bonum. His ita prenotatis, thesini nostram probamus. Illud est affectus ad appetitum concupiscibilem spectans, quod est actus appetitus bonum cognitum prosequens. Æmulatio indifferenter spectata est actus appetitus bonum cognitum prosequens. E. Res est clara, nec habebimus fortè hic adversarium. Nam quod alii, nominatim *Cl. Job. Conrad Dürrius in Instit. Ethic. part. 3. sect. 1. cap. 6.* Æmulationem ad appetitum irascibilem referunt, in eò nobis non contradicunt, cum alio sensu æmulationem accipiant quàm nos, pro mala scilicet & vitiosâ quæ invidiam & tristitiam conjunctam habet.

§. 10. *Conclusio II da.* Æmulatio quatenus nondum perfecta, sed pro rudimento & dispositione æmulationis in suo genere omnimodè perfectæ accipitur, est Semivirtus. Thesis hanc ante quã stabiliamus, monemus nos in doctrinã de Semivirtutibus *Excell. Thomasi Præceptoris nostri & Fautoris Honoratissimi* vestigia legere, & tot ponere Semivirtutes quot virtutes. Ita verò conclusionem probamus. Quicquid est rudimentum & dispositio ad virtutem perfectam illud est Semivirtus. Æmulatio quatenus nondum perfecta, est rudimentum & dispositio ad æmulationem perfectam. E.

§. 11. *Conclusio III ta.* Æmulatio quatenus accipitur pro æmulatione plenè perfectâ, est Virtus. Probatur. Illud est Virtus quod est habitus electivus cum rectâ ratione congruens & in mediocritate versans. Atqui Æmulatio perfecta est habitus electivus cum rectâ ratione congruens & in mediocritate versans. E. Major est definitio virtutis. Minor patet; nam 1. æmulatio plene perfecta est habitus electivus, quoniam ab appetitu rationali proficiscitur & cetera observat quæ electionis propria: 2. Cum rectâ ratione congruit, est quippe laudabilis & circumstantias morales observat; 3. In mediocritate tam effectivè quàm subjectivè versatur, potestq; hic tum in defectu tum excessu peccari.

§. 12. Sed quæres hinc I. Cur Æmulationem per solam Virtutem definiamus, qui tamen simul concedamus eam & affectum & Semivirtutem esse? Resp. distinctè; 1. Non definimus æmulationem per affectum ideo, quoniam solliciti sumus de genere ejus proximo, quæle non est affectus sed Virtus. 2. Non definimus per

Semivirtutem ideo, quoniam hic non consideramus rudimenta & dispositionem æmulationis, sed æmulationem quoad esse suum debitum perfectam.

§. 13. Quæres II. An AEmulatio sit Virtus aliqua nova ab undecim illis virtutibus, quæ communiter tantum defenduntur, distincta, an verò ad aliquam ex illis pertineat? Resp. Quamquam multi dubitent, num undenarius ille virtutum numerus vulgò receptus adæqvatus & sufficiens sit, solidisq; nitatur rationibus; maluimus tamen nos supra th. 5. æmulationem pro diversâ ratione ad modestiam & magnanimitatem referre: Ad modestiam quidem quatenus æmulatio in illis est, qui suarum sibi virium conscii nec in imis hære, nec ad summa tendere, sed in medio consistere student: Ad magnanimitatem verò, quatenus spectatur in iis qui heroico quasi spiritu afflati non nisi ad summa & perfectissima aspirant.

§. 14. Dices; Modestia & magnanimitas versantur saltem circa honores; illa quidem circa parvos, hæc circa magnos. E. AEmulatio non spectat ad modestiam & magnanimitatem. Consequentia probatur, quia æmulatio versatur non circa solos honores, sed etiam circa virtutes. Ad hoc dubium variè respondere possumus. I. dubium adhuc est, an modestia & magnanimitas satis commode ad solos honores referantur? certè nullã videmus solidam rationem cur non ad virtutes quoq; extendendæ sint. II. Posito sententiam communem de modestia & magnanimitate veram esse, remanet tamen hoc æmulationem quoad certum punctum, nempe quatenus circa honores versatur, ad modestiam & magnanimitatem revocari debere. III. Nos non rigoroze identitatem sed saltem affinitatem urgemus, prout expressè supra th. 5. diximus.

§. 15. Hæc paulò liberius voluimus de AEmulationis genere proponere, nullo tamen novandi pruritu, sed solius informationis, quam etiam ab eruditis modeste petimus, gratiã.

§. 16. Pergimus ad AEmulationis subiectum, quod doctrinæ causã in Generale & Speciale dispescere possumus.

§. 17. Generale Homines sunt; etsi enim fortè umbram quandam æmulationis in brutis deprehendamus, lubet tamen hic proprietati vocabuli insistere, & æmulationem quatenus in solis hominibus contemplari.

§. 18. Specia-

§. 18. Speciale pro varietate hominum varium est. Nos ad quatuor classes (nolumus enim nimis longi esse, nec ad minutissima quævis descendere) revocamus.

§. 19. I. occurrunt Juvenes, in quibus animi impetus, vincendi cupiditas, ardor mentis ad gloriam. Significant hi ut plurimum in primâ statim ætate tanquam in herbis quæsit virtutis maturitas & quantæ industriæ fruges sint futuræ. *Vide Ciceronem in Orat: pro M. Cælio.*

§. 20. Siftit sese hic in exemplum Thucydides, qui cum adolescens Herodotum Historiam suam Olympiæ prælegentem audisset, adeo æmulatione iefferbuit, ut lacrymas continere non posset, teste *Suida in Thucyd.*

§. 21. Non absimilis huic Alexander Magnus, cui cum Juveni Patrem Philippum urbes subjugâsse aut de hostibus victoriam reportâsse, nuntiatum esset, indoluit, nihil reliquum futurum ratus sibi suisque dum adolevissent. *Plutarchus & ex eò Freinsbemiuss in Supplemento Curtii lib. 1. cap. 2.*

§. 22. Horum certè vestigiis omnes ingenuæ mentis juvenes, ii præcipuè qui literis consecrati, insistere deberent: Vix enim ibi verus literarum amor, ubi omnis exulat æmulatio. Quod vel elegans Ebraeorum dictum docere potest: מאן רחמים ולא קשיר עמיה קנאה לאו רחמותיה רחמותיה כיון דקני חאי רחמותיה Qvi amat (scientiam aliquam) & non laborat æmulatione, ejus amor non est verus amor: Cum verò æmulatione ducitur, tum est verus amor. *Extat in eximio atq; egregie operæ libro Dsohar. fol. 130. col. 1. 2.*

§. 23. Et talem volebat discipulum *Quintilianus lib. 1. Instit. Orator. cap. 3.* Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiâ nunquam verebor.

§. 24. Juvenes II. ut ætate ita ordine sequuntur Viri. Qui quemadmodû majori præditi sunt judicio, ita magis ad virtutes, quas in aliis intuentur, egregias, enituntur, & in æmulando cautius procedunt. Sic Marcellus æmulus erat studiorum ac laborum Ciceronis, ut ipse *Cicero Orat: pro Marcello* fatetur. Pisandrus virtutum Agefilai

filii æmulator erat, contendebatq; ne à rebus gestis ejus & gloria splendore decederet. *Vide Justinum lib. 6. cap. 3.*

§. 25. Sed nec Ill. ab Æmulatione excludendæ sunt Fæminæ, cum tam vetera quam nostra tempora prolixum nobis illustrium fæminarum exhibeant catalogum, quæ tum fortitudine & doctrinâ tum aliis virtutibus viros vel æquare vel superare contenderunt. Nec hic sexus sed animus attendendus.

§. 26. Ex veteri seculo prodeant Amazones, quas fortia facta, insignes triumpho, egregium, quod in Asia tenuerunt Imperium posteritati commendarunt. *Vide Svetonium in Julio Cesare cap. 22.*

§. 27. Nec nostrum seculum exemplorum sterile est. Cum superioribus annis Breda ab Hispano obsessa esset, Aertsenii urbani prætoris & tribuni uxor, ut frequenti tormentorum ac mortariorum impetu & strepitu consternatos Civium animos confirmaret; sæpè cum maximè faviret globorum tempestas, curru vecta urbis mœnia perlustravit, & erectum supra seculum suum animum professâ, audaciam ostendit esse pro muro. *Vide Jacobum Zevecotium in observat Politicis ad Svetonii Julium Cesarem cap. 22.*

§. 28. In re literaria excelluerunt ex vetustioribus Sappho carminibus inclyta, de quâ *Gymldus Dialog 9.* Eudoxia Theodosii Imperatoris Conjux, de quâ *Paulus Diacon. lib. 14. Histor.* ex recentioribus Olympia Fulvia Morata. de quâ *Tbuanus lib. 16. Hist.* Anna Maria Schurmannia Ultrajectensium nobilis puella, utraq; scriptis editis celebris: & sexcentæ alia.

§. 29. Deniq; IV. Æmulatio quoq; sæpè inter integras nationes & Civitates est. Sic olim Alba ut Romæ parens ita Romæ æmula erat, restante *Floro lib. 1. rer. Roman. cap. 3.* Carthago eandem Romam æmulabatur, ut iterum *Florus lib. 2. cap. 15.* consignavit.

§. 30. Et quamvis fortè quis exempla mox adducta de æmulatione potius vitiosa quam laudabili interpretari mallet, hoc tamen nobis ultrò dabit, ex parte illam æmulationem laudem meruisse & ad virtutem proximè accessisse; aut si nimis rigidus esse velit, hoc ad minimum relinquet, exemplis hisce ostendi, ut inter integras urbes & nationes æmulationis vitium esse potuit, sic etiam æmulandi vitium ibi sedem posse figere.

§. 31. De Subjecto Æmulationis diximus satis, ordo nunc tangit Objectum, quod vel Primarium vel Secundarium.

§. 32. Pri-

§. 32. Primarium sunt virtutes, exq; tum intellectuales tum morales, quarum appetitus ut naturaliter homini insitus, ita per æmulationem magis magisq; augetur; spoliaretq; se homo summo suo Bono, nisi virtutes aliorum in exemplum traheret.

§. 33. Secundarium sunt virtutum proemia, honor, gloria, animus sibi bene conscius &c. quæ omnia uti virtuti connexa, ita simul cum eâ homines in sui amorem & desiderium rapiunt. Imò hæc si deessent, mortales sæpe à virtutum studio remitterent, & in segnitiam quandam & somnum relaberentur.

§. 34. Causa Efficiens Æmulationis alia est Physica, alia Ethica.

§. 35. Physicam *Renatus Cartesius in Passionibus Animæ parte 3. artic. 172.* dicit esse calorem disponentem animam ad suscipiendas res arduas.

§. 36. Ethicam suppeditat nobis *Vellejus Paterculus, qui lib. 1. Histor. Rom. cap. 17.* ita inquit: Alit æmulatio ingenia: Et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit. *Admiratio* ergò genuinæ æmulationis causa est; dum enim id quod pulchrum est atq; eximium in aliis, admiramur, tacite simul animus noster ad possessionem illius boni obtinendam accenditur, atq; sic fomite hoc admoto in flammam scintillulæ gloriæ pectoribus nostris insitæ erumpunt.

§. 37. *Plinius in Panegyrico cap. 84.* duas adhuc adducit causas: ex hujus enim mente Æmulatio maximè nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate. Bene est, quod dixit maximè: certum enim nobis videtur, conjunctionem & æqualitatem non ubivis in æmulatione obtinere, adeoq; has non adæquatas & universales causas esse.

§. 38. Singulare planè est quod *Boleslaum Poloniae Regem* ad æmulationem calcar addidit. Hic ut sibi regios martiosq; faceret animos, appensam ex collo defuncti Parentis imaginem gestare solitus est, eò consiliò ut quoties aut in oculos aut manus incurrisset, toties memoriæ recurreret paterna virtus, & ab hac partæ gloriæ monumenta. Certè ubi dubia martis alea, ubi pro Patria, pro focus & aris subeunda vitæ pericula, tum Patris imaginem prensare manu, ori admovere, exosculari, & cum eâ blandè colloqui, sibiq;

B

sibiq;

sibiq; animos addere; nequid ageret aut pateretur indignum paterno stemmate atq; exemplis. *Vide Jacobum Lobbetium Tomo 2. Operum.*

§. 39. Ut finem huic capiti imponamus, properandum tandem ad AEmulationis Finem, qui præter Gloriam DEI, ultimum actionum bonarum scopum, tum Honestas tum Jucunditas est: ideo enim quis animum ad virtutes & gloriam componit, ut partim honestum partim jucundum laboris sui sentiat fructum.

CAPUT SECUNDUM.

De Legibus æmulationis.

§. I.

Cum difficillimum sit in æmulando regiã incedere viã, & facile vel ad excessum vel ad defectum possumus exorbitare, moxq; obrectatio mox superbia, mox aliquid aliud virtutis hujus actiones temeret; In id jam nobis laborandum, ut certas quasdam leges suppeditemus, ad quas vera æmulandi ratio componenda.

§. 2. Lex Ima. *Non æmulare cum invidiã:* Abjecti enim & humilis animi est, agrè velle aliorum virtutes & honores ferre, quos, summo Numine indulgente, multo labore acquisiverunt.

Livor iners vitium mores non exit in altos
Utq; latens imã vipera serpit humo.

Ovid. lib. 3. de Ponto Eleg. 3.

§. 3. Lex Ilda. *Non æmulare cum superbiã.* Communiter aliã hoc vitium æmulationi adhæret, & vix temperare se possunt ii, in quibus gloriæ impetus: nocet tamen maximè ambitio, & dum quis ad fastigium se pervenisse putat, longè ab eo abest, aut si fortè eò usq; ascendit, gravi iterum lapsu ruit, & temerarii sui ausus dignas hinc pœnas, sibiq; angorem, aliis ludibrium movet. Quantum detrimenti studio literarum ambitiosa illa æmulatione, quæ inter multos literatos intercedit, afferat, eleganti discursu ostendit *Cl. Bæclerus in Notis ad Vellej. Patercul. p. 89.*

§. 4. Lex Iltia. *Non æmulare eos quibus longè impar.* Prudens est qui hoc

hoc observat, sibiq; ob oculos ponit illud sapientissimi *Seneca* monitum *lib. 3. de Irâ cap. 7.* Quotiens aliquid conaberis, te simul & ea quæ paras, ipse metire. Temerarius qui negligit; sæpissime enim, si non semper, felici caruit successu ejusmodi æmulatio, sæpius tragicum habuit exitum.

§. 5. *Lex IVta. Non emulare simul cum virtutibus vitia.* Ita multorum hominum ingenium comparatum est, ut dum virtutes aliorum exprimere aut superare nituntur, vitia simul imbibant: attentâ igitur opus hic circumspeditione, ne vel blandè vitia nobis se insinuent, vel sub virtutum specie animos nostros fallant.

CAPUT TERTIUM. De Fructibus Æmulationis.

§. 1.

Insignes Æmulationis fructus in compendio nobis sistit elegans *Themistii* locus *Orat. 3.* quem ex *versione Georgii Remi* dāmus. Homo ita natus est, ut quæ cum certamine quodam perfici debent, eadem omni nervorum contentione curet: quæ verò de facili absq; æmulatione efficiuntur, ea etiam cum quâdam negligentia & oscitantia peragat. Excitatur animus à studio alios superandi, ut in ardua tendat, magnumque aliquod opus moliatur.

§. 2. In specie verò genuina æmulatio I. Hominibus doctis utilis est. Hinc Ebræi dicunt *קנאת סופרים תלבר חכמה* Æmulatio Scribarum auget doctrinam. *Citat. Cl. Job. Saubertus in præfat. ad Comment. Rabbin in Pentateuchum.*

§. 3. Utilis est II. Militibus. Ostendit hoc præclarum exemplum Messeniorum à *Justino. lib. 3. cap. 5.* consignatum, dignum quod nostram quoque *Dissertationem* exornet. Tyræus vates carminibus suis, in quibus horramenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat, tantum ardorem militibus Lacedæmoniorum injecit, ut non de salute, sed de sepulturâ solliciti, tesseras, insculptis suis & Patrum nominibus, dextro brachio deligarent, ut si omnes adversum proelium consumpssisset,
&

& temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio
titulorum tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum Reges exer-
citum viderent, curant rem hostibus nunciari. Messeniis autem
non timorem res, sed Æmulationem mutuam dedit. Itaq; tantis
animis concursus est, ut rarò unquam cruentius prælium fuerit.

S. 4. Utilis est III. Reipublicæ. Æmulandi enim amor validior,
quàm pœna ex legibus & metus. *Tacitus lib. 3. Annal. cap. 55.* Et
certè ubi civium animi ad præclara agenda tepidi, ibi misera sem-
per Reipublicæ facies. Hinc in Ephesiorum legibus præceptum
erat, ut quotidie cives recordarentur alicujus viri, qui cum virtute
vixisset. *Marcus Antonius lib. 2. sua vita.*

Ite nunc Fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via. Cur inertes
Terga nudatis? Superata tellus
Sydera donat.

COROLLARIA,

I.

Prima mentis operatio potest dirigi.

II.

Universalia non fiunt per solam apprehensionem, sed
etiam per judicium & discursum,

III.

Non datur Spiritus mundi.

IV.

Mors non est vermiculus.

V.

Ens habet principia essendi.




01 A 6531

ULB Halle 3
002 937 506




11
W 117





UM P
d pra
ac. M
7. Di
cont
pter.
7. ubi
furtt
. ar.
Cha
ter n
ando
odicu
amq
Dat
ndi c
r, ut
p. ff.
. in
ui &
fure
t rat
Cha
cit. J
oper
e bea
cap
yziu
cipu
as le
o, fi
unc
por
N



24.

22

DISSERTATIO
HISTORICO-ETHICA
DE
ÆMULATIONE
Quam
IN ILLUSTRACADEMIA
LIPSIENSI
Indultu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
SUB PRÆSIDIO
VIRI
CLARISSIMI AC PRÆSTANTISSIMI
DN. M. CHRISTOPHORI KRAHE
LIPSIENSIS
S. S. Theologiæ Candidati
Fautoris ac Præceptoris sui
Publicè defendet
JOHANNES JUNGIUS
Uratislaviensis Silesius
Ad diem XXVI, Novembris
Anno M. DC. LXIV.
L I P S I Æ,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

Ge. Lic. Stuhem

